

Botan 255^d.

M.

FACULTATIS MEDICAE
WITTEBERGENSIS

H. T.

DECANUS

D. GEORGIUS RUDOLPHUS
BOEHMER

CONSIL. AULICUS, THERAPIAE PROF. PUBL. ORD.
ACAD. SENIOR, PHYS. PROVINC. SOC. OECON.
LIPS. SODAL.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DIE XXII. DECEMBR. A. R. S. MDCCCII

HARENDAM

I N D I C I T

ET

PLANTAS FABULOSAS INPRIMIS MYTHOLOGICAS

R E C E N S E T.

○∞○

SPECIMEN IV.

Botan. Vol. II, 58

FAKULTÄT MEDICINAE

WITTENBERG

1804

D. GEORGII RUDOLPHI

BOETTNER

GENIUM ANTIQVVM, SIVE ANTIQVITATVM

ACADEMIAE HUIUS TROVINCIAE

DISERTATIONE

DISERTATIONEM IN LINGVA

DISERTATIONEM IN LINGVA

DISERTATIONEM

DISERTATIONEM

DISERTATIONEM

DISERTATIONEM IN LINGVA

DISERTATIONEM

Specimen IV

Ad Mythologicas denique referri debent sequentes plantae:

Helenium. Helena, regis Menelai uxor, ex cuius lacrymis natum scribunt plures, et ideo in Helena Insula usitatissimum fuisse, refert Plinius L. XXI. c. 14. Fabulam hanc copiose descripsit Turre Hist. Plant. p. 630. Cur autem lacrymas emiseric, non conveniunt. Sic enim Ptolomaeus retulit: Helenium herba, quae in Rhodo nascitur ab Helena nomen hoc sumsit, visum ad eandem nasci quercum, ex qua se Helena strangulavit, alii ex huius lacrymis natum scribunt, dum Governatorem Canopum Haemorrhoi serpentis ictu exanimatum flevisset, quae historia in Nicandri theriaca legitur. Helenium favore creditur formae, cutem enim mulierum interruptam conservare dicitur. Conf. Bodaeus p. 683.

Amygdalus Ia, Midae regis filia desponsata Atii, sponso suo in arborem converso, ipsa se interfecit, miserata Cybele corpus in Amygdalum amarum transformavit, refert haec ex Arnobio Couleius in notis ad poemata de plantis p. 262. et addit: Comitatur et alia fabula hanc arborem: Phyllida Demophoontis, viro ultra promissum tempus absente, correptam amoris impatientia laqueo vitam finivisse et in Amygdalum conversam fuisse, sed sine foliis, Demophoonta reversum truncum eius amplexum esse, illam autem sensisse adventum viri et gaudio folia emisisse, ab eius nomine tum demum *φυλλα* dicta, cum antea *πετάλα* dicerentur. Vid. etiam Mylii Hort. Philos. p. 150.

Paeonia de qua scribit *Rapinus Hort. L. I. p. 16.*

Florem pendit ovans, satura perfusa rubore,
 At non ille tamen non est rubor ille pudoris,
 Crimen habet, tetro quod flos declarat odore.
 Felix Nympha, deum si non habuisset amantem.
 Nam cum, Cyraeo quondam sub littore, regi
 Paeonis Alcinoo candentes pasceret agnos:
 Cavit mortales virgo, superosque cavere
 Non potuit, factus coelesti crimine flos est.

De *Myrrhae* in arboris sui nominis conversione fabulam copiose descripsit *Ovidius Metam. L. X. v. 289.* et explicationem addidit *Burmannus p. 710.* *Myrrha* *Cinyrae* et *Cenchreidis* filia, iracundia *Veneris*, quod sibi mater eius praeferretur, patrem impio amore dilexit; nec viam potiendi inveniens, cogitur suspendium experiri; cuius nutrix intra cubile gementis excepit vocem, et signis cognitis nefariae mortis, dum diligentius scrutatur, causam poscit. Consolata erga puellam, ei pollicetur, se effecturam, ut parenti sine ulla infamia iungatur. At anus die solemnem *Cereris*, quo mater eius operata a viro *Secubabal* alumnam noctu deducit ad *Cynaram*, praedicans forma eius impulsam sibi se credidisse, qui data cupiditate lumen inferri iussit, ut speciem eius notam haberet, cognitusque filiae pater stuprator coactus est pudore ferro stricto eum insequi, quae duplici metu territa in sylvam profugit, ibique misericordia eiusdem *Deae* in arborem, quae eius nomen indicaret, mutata est.

Appulum pastorem in *Oleastrum* mutatum fuisse narrat *Ovidius Met. L. XIV. v. 512 seq.* *Dauriae* regionis locum arboribus obumbratum, *Pan*, *Mercurii* filius tenuit, quem postea nymphae coluerunt. Has pastor *Appulus* cum procacibus maledictis terruisset, ne amplius linguam in propatulo haberet numine earum in arborem *Oleastrum*

flum extabunt, cuius fructus suo amarore pastoris asperitatem refert.
Sic Ovidius versu 524.

Arbore enim succoque licet cognoscere mores
Quippe notam linguae baccis oleaster amaris
Exhibet asperitas verborum cessit in illas.

Acanthus. Pueri, in florem sui nominis versi, fabula, quam
Paederota a puerili, ut suspicatur Kyber p. 8. amore graeci vocant.

Tulipa. De hac quoque fabulam retulit Rapinus L. I. p. 11.

Et si vera fides, qui flos iam lucet in hortis,
Dalmata virgo fuit, fontis cui Nympha Tivan.
Mater erat, Proteusque pater, sic omnia rerum,
De Patris ingenio, Nympham diversa decebant:
Nam seu pallam auro textam, seu simplice lino
Indueret, cuius seu cumque coloris amictus,
Sive ferox esset vultu, seu blanda, placebat.
Orbe pererrato fines Vertumnus obibat
Illyrios, Nymphae matris sub fonte sedenti
Dicere blanditias et amantia verba parabat,
Illa autem longe fugit averfata parantem.
Sed variorum ut erat virgo studiosa colorum,
Vertumnus formas sese vertebat in omnes,
Pro vario Nymphae ingenio, si forte placeret.
Verum ubi vota Deus se perdere sensit, et artes,
Perdere blanditias, audax iam factus amando,
Se pariterque Deum, pariter confessus amantem est,
Vique adeo addidat verbis: servate pudorem,
Dii Patrii, exclamat Virgo, coepitque videri
Digna suis votis, factus de virgine flos est.

De Flore Imperiali scribit Rapinus l. c. p. 10.

Et

Et Regina fuit, si famae creditur, illam
 Perdidit ah! miseram rumor malus, ipsaque sponsa
 Credulitas, solos errabat moesta per agros,
 Et regnis pulsa et thalamis, longoque dolore
 Tabuit in florem. At primam mutata figuram,
 Formam etiam dignam imperio cum nomine servat,
 Nec servavit eum, rapuit quem rumor odorem,
 Usque adeo est rumor formosis semper iniquus.

Chelidonium. Pandioniam quidam e graecis nominaverunt,
 is autem Prognion genuit, quum in Hirundinem conversam poetae
 fabulantur, de qua mutatione pulchre cecinit Ovidius Met. Libr. VI,
 in fine.

Quae adhuc restant, ex Mythologia declarandae, plantae proxime
 addamus. Nunc enim transire debemus ad commendationem

NOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE
 CAROLI AUGUSTI KREYSIG
 MEDICINAE CANDIDATI

Qui vitae suae atque studiorum rationes sequenti modo Ipse exposuit.

Ego CAROLUS AUGUSTUS KREYSIG natus sum anno Chr. 1778. die
 mens. Octobr. XIX. Limbaci pago, haud procul ab urbe Chemnitz vocata, ubi
 patrem habui sacrorum apud Libacenses Antistitem, CRISTIANUM SIGESMUN-
 DUM; matrem vero ROSINAM MARIAM e gente SCHERFIANA. A prima aetate
 domi doctrina praeceptorum fidei, ac cura patris laudabili gavifus sum. Inter
 illos vero praecipue ac cum recordatione maxime pia nominandus est: M. GOTT-
 LOB FRIEDRICH GRIESBACH, qui munere Diaconi in oppido Prettin ad Al-
 bim ornatus est. Cui bono Viro maximae laudes atque gratiae publice his li-
 teris tribuendae atque agenda sunt, quod per spatium sex annorum tam ma-
 gnam adhibuit in me erudiendo operam atque studium, ut domum patris, sep-
 tendecim annos natus, relinquere, et Gymnasium, quod Zuicaviae floret, ad-
 ire

irè possẽm. Ibi vero Rectore CLAUSIO, et Correctore LONGOLIO, per spatium duorum annorum literis elegantioribus omnem navavi operam. Aliorum quoque praeceptorum de me meritorum nomina, summa cum gratiarum actione sunt laudanda, inter quos inprimis Consul Zuiccaviensis iuriconsultissimus HEMPELIUS nominandus est, cui Viro, literis elegantioribus bene exornato, non parum scientiarum exiguarum mearum debeo, hincque gratias quas possum maximas solvo. Primo vero anno, quum Zuiccaviae literis oblectarer, praeterlapso, morte praematura pater optimus, quod acerbissimo dolore hic commemoro, mihi ereptus, matrem multos annos iam ante defunctam, sequutus est. Gymnasio relicto, universitatem Lipsiensem petii, ubi anno Chr. 1797. Rectore Magnifico DIUDORFIO civibus academiae sum adscriptus. Philosophiae atque studiis elegantioribus primo anno duce Illustri PLATTNERO atque HEYDENREICHIO, MICHAELI et SEIDLICIO studui, simul in literas sacras primis annis duce ROSEN-
MUELLERO, BECCIO, KEILIO, incubui. Quum vero multa obstarent, quo minus literis sacris diutius incumbere possẽm, maiorque existeret amor studii medici arripiendi, huic etiam satis feci, et inde a tertio anno cursus academici meae literis medicis omne tempus impendi. Accepi tum omnem Anatomiam a b. HAASE traditam, Physiologiam a PLATTNERO, Physicam experimentalem ab HINDENBURGIO, Chemiam ab ESCHENBACHIO, nec non botanicis praelectionibus LUDWIGII interfui. Pathologiae et Therapiae generalis praeceptor mihi fuit HEBENSTREITIUS. Quibus vero singulis scientiae medicae partibus, spatio duorum annorum tractatis, hanc universitatem reliqui, et Ienensem petii, eo consilio, ut, quae Lipsiae edoctus essem, ibi ulterius excolere atque exercere, inprimis vero lectionibus clinicis aliisque praelectionibus, quae praxin spectant, interesse possẽm. Hinc itaque Therapiam specialem didici a STARKIO Iuniori et Clinicas sub auspicio Illustris STARKII florentes scholas, per annum frequentavi, et scientiae medicae partem practicam exercui, simul anatomiam duce Illustri LODERO repetii. Chirurgiam manualement ab Illustri LODERO, doctrinam vero de fasciis a STARKIO Iuniori, artis vero obstetriciae partem theoreticam ab Illustri STARKIO, practicam vero ab utroque STARKIO accepi hisque ducibus exercui.

Studiis

Studiis vero meis etiam hac in Universitate absolutis, hunc locum quoque reliqui, et Universitatem Vitebergensem adii, eo consilio, ut examine pro Candidatura ibi explorarer, quid valerent vires. Examen vero die XXVII. Mens. Novbr. MDCCCII. sustinui.

Atque tandem ad nos accessit. Bene eum Ipsi cognitum, Medicos, in exteris Academiis promotos, Facultatem Clinicam Praxin in Saxonia exercendi, haudquaquam obtinere, potius eandem novo Tentamine, aliisque Speciminibus, immo novis sumptibus esse acquirendam. Nunc itaque, confecto Academico curriculo, summos honores, qui Medicinam professoris impertiri solent, ab Ordine Nostro petiit et in Tentamine, quod pro Candidatura dici solet, adhibitam diligentiam et laudabiles profectus nobis ostendit. Proximo autem die XXII. Mens. Decembris in aream descendet et dissertationem *de morbis syphiliticis, nec non de mercurii contra eos effectu* proprio Marte elaboratam, Praefide Viro Excellentissimo Doct. et Prof. VOIGTIO publice defendet. Vos itaque, RECTOREM MAGNIFICUM, ILLUSTRISSIMOS COMITES, ET LIBEROS BARONES, PATRES CONSCRIPTOS, FAUTORES AC GENEROSISSIMOS COMMILITONES, obtestor, velit benevole adesse, id quod nostro ordini et Candidato erit honorificentissimum.



WITTEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII

ACAD. TYPOGRAPHI.

Botan 521

